

ci, quò statuitur aliquid licitum esse, sed ob *scrupulum* non facile agendum, cum hic anxiam reddat conscientiam.

§. 30. Facile ex his patet, cur hæc conscientia dicatur scrupulosa, nempe à scrupulo: sicut enim scrupulus propriè est lapillus exiguus & asper in calceò latens, qui, licet homo progredi queat, pedem tamen lædit & vexat: ita tropicè notat in animo sollicitudinem, aut suspicionem, quâ animus pungitur & cruciatur, ut licet assentiatur uni parti quæstionis, tamen ex sollicitudine existimet, fortè oppositam veriore, adeoque id, cui assentitur, non facile agendum esse.

§. 31. Hujusmodi scrupuli oriuntur vel de factis, e.g. an quis rectè functus sit officio, vel de faciendis, de quibus in primis h. l. sermo est.

§. 32. Si quærat, unde oriantur hi scrupuli? Resp. non una est eorum origo. Quandoque scrupuli injiciuntur animo à dæmone, maximè quando aliquid, quod vel in honorem DEI vel salutem proximi vergit, faciendum est: quandoque nascuntur scrupuli ex imbecillitate capitis, quandoq; ex mala corporis constitutione quandoque ex animi infirmitate, quandoque ex inscitiâ, quandoque ex hominum scrupulorum consortiò, & si quæ aliæ causæ esse possunt.

§. 33. Si quærat, porrò, quomodo scrupuli animum vexantes eximendi sint? Nonnulli existimant id fieri posse commodissimè, si in primò statim accessu suffocentur & supprimantur, quod licet admitti possit, ubi scrupulus non est rationalis, tamen consilium hoc non per omnia salutare est: accidit enim quandoque, ut scrupulus sit rationalis & alicujus momenti, qui non in super habendus est, aut statim supprimendus. Alii rectius svadent, ut (1) si scrupulis vexatus sit sub aliquo superiore rerum peritò, ad cujus nutum vivere tenetur, posthabitis scrupulis sententiam superioris sequatur, sicut unus ex Bernhardsi discipulis adeò scrupulis in animo vexatus fuit, ut officiò sacrò fungi non potuerit: Cùm verò Bernardus juberet, ut officiò fungeretur, ei obediit hic inferior, & à scrupulis liberatus fuit. (2) qui scrupulis in animo suo angitur, utatur boni, periti & exercitati viri consiliò, neque suo se iudicio planè permittat, utpote sæpius fallaci: (3) etiam desinunt scrupuli si homo sæpius contra eos aliquid faciat, probabili ratione motus, aut si res ipsa, de qua scrupuli oriuntur, à Deo mandata vel instituta sit, e.g. si inter preces, quas homo ad Deum fundit, subinde oriantur peregrinæ aut impiæ cogitationes, scrupulus oritur, an quis h. m. licitè ad Deum orare queat? hic contra talem scrupulum aliquid faciendum,

B

preces